14

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-PHILOSOPHICA,

De

# POTENTIA DIABOLI IN CORPORA,

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE, ETC. ETC.

*IN ACADEMIA FRIDERICIANA*

EX DECRETO GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

D. MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROF. PUBL. ORDINARIO, POTENTISS. REGIS BORUSS. CONSILIARIO ET ARCHIATRO, h. t. DECANO.

*PATRONO AC PROMOTORE SUO*

AD CINERES USQUE DEVENERANDO

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES JURAQUE ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAJORUM, LEGITIME ASSUMENDI,

*d. Octobr. Anno* M. *DCCIII.*

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante & pomeridianis

*Publico eruditorum examini submittit*

GODOFREDUS Büching/

Cöstricensis Misnicus.



Dissertatio Philosophico-Medica

DE

## *POTENTIA DIABOLI IN CORPORA.*

# PRÆLOQUIUM.

NOn minus scite quam vere scriptum reliquit *Plutarchus sympos. lib. 5. c. 7. quodammodo philosophiam tollunt, qui rebus mirabilibus fidem non habent. Oportet autem quam ob causam aliquid fiat id ratione tractare. Quod vero id fiat ex historia est sumendum.* Quo cum perpulchre consentit *Plinius Hist. nat.* b. 2. *Quemadmodum multa fieri non posse, priusquam facta nt, judicantur: Ita multa quoque, quæ antiquitus facta, quia s ea non vidimus, neque ratione assequimur, ex iis esse, quæ fieri n potuerunt, judicamus. Quæ certe summa insipientia est,* uibus sapientissimi & cordatissimi hi viri optima ratio- e eos reprehendunt, qui historias & res facti, eam ob usam pernegant, quoniam ratione sua, quomodo fiant l facta sunt ea, minus assequi possunt. Jam dudum nc errorem animadvertentes philosophi, utilissimum nc canonem condiderunt: *ab ignoratione modi non valet*

*consequentia ad negationem existentiæ rei.* Dici vix pote
quam frequenter contra hunc canonem peccetur, n
tam à philosophis, quam ab ipsis etiam medicis, qui du
experientiam & observationes rationi debebant ordi
præferre, atque præponere, & postea effectorum rat
nes scrutari, contraria via sæpe numero incedunt, & a
tequam certi sunt, num aliquid fiat, nec ne, protinus
suum intellectum & rationem confugiunt, & ex ea
petunt atque exquirunt. Verum enim vero cum ra
hominis plurimorum effectuum in naturalibus æque
spiritualibus rebus causas invenire atque detegere p
ne inidonea sit, & rarius judicium de rebus ex genui
principiis ac fundamentis deducatur, hinc ratio pleru
que fallax & minus recta exsurgit. Qua de re consult
est prius de veritate & fide historica circumspicere
rebus ubi agitur de effectibus, quam anticipatione
tempestiva & præpostera ratione rerum existenti
& modum inquirere. Observavimus itaque ex
glectu superius allatæ regulæ ingentem dissenti
cium opinionum varietatem etiam oriri, quando t
ctatur de potestate malorum spirituum, adeo, ut e
stant nonnulli qui nimium diabolo & incantationi
sagarum tribuunt, eaque quæ ex mere necessariis & p
ficis causis fluunt, hisce adscribunt, alii contra plane
hil potentiæ diaboli adscribunt, imo operationes e
in corpora penitus negant, ex eo, quoniam id ratic
principiis non consentaneum esse judicant. Ver
enim vero hisce breviter reponimus: cum ad veritat
facti vel duo aut tres testes fide digni per consens
omnium populorum sufficiant, equidem non video,
pertinaciter negare ea velimus, quæ omni hominum a

e ab omnibus populis atque locis variis & diversis
eculis & non tantum à theologis,sed philosophis, me-
icis fide dignis peritis prudentibus, observata & ma-
na circumstantiarum convenientia consignata, in-
acro postea codice confirmata, & tot magistratuum
egibus,confessionibus judiciis,stabilita,leguntur. Cer-
e in rebus facti solis autoritatibus est nitendum, quæ
amen omnino rejiciendæ sunt in rebus, quas ratione
x intellectu persequi debemus. Num autem majo-
i unquam autoritate historia factorum firmata, &
oborata sit, quam ea quæ docet varios effectus dia-
oli in corpora naturalia & hominis, merito anceps
æreo. Nihilominus operæ pretium duco probe quo-
ue perpendere illorum ratiocinia, quibus adducti
ontrarium asserere maximopere laborant. Perspi-
iendum enim ne nimium & ne nihil tribuamus
iabolo, videndum quoque quid valeat & non va-
eat & an omni tempore & in omnibus subjectis id
ræstare possit. Suscepimus in præsentiarum hunc
rduum & gravem laborem citra tamen ullam præ-
ccupationem, vel ullius injuriam. Neque hanc tra-
tationem à foro nostro alienam censemus: nam qua-
is sit differentia inter spiritum & corpus & quidnam
orpora pati queant à spiritibus & non queant, nemo
xactius nostra sententia poterit determinare quam
hysicus & medicus. DEus autem qui fons & autor
st omnis lucis, & destructor est omnium tenebrarum
perumque diabolicorum, etiam hac in re in nomi-
is sui gloriam proximique emolumentum nos dedu-
at in omnem veritatem!

§. I.

ANtequam autem ad ipſam rem ejusque tractationem preſſiorem nos accingamus, & num dæmon poſſit agere in corpora, determinemus, ordo & inſtituti ratio poſtulare videtur, ut primo omnium, quid per vocabulum diaboli velimus intellectum in medium adducamus. Eſt autem diabolus per conſenſum omnium tum theologorum, tum phyſicorum & medicorum, ſpiritus creatus, finitus, nocentiſſimus, certa potentia in creaturas maxime in hominem præditus. Spiritum eum eſſe dicimus, quoniam ejus natura atque eſſentia eſt ab extenſione & repletione certi circumſcripti ſpatii libera, impenetrabilitatis & diviſibilitatis expers. Spiritum eum dicimus, quoniam intelligente & cognoſcente facultate, nec non voluntate eſt præditus. Creatus autem eſt, quoniam dependentiam, exiſtentiam & ſuam originem habet a ſuperiori infinito ſpiritu, finitus & limitatus eſt non modo ratione eſſentiæ ſuæ, ſed & ratione operationum, & quia infinitus & increatus eſt ipſius & ejus potentiæ Dominus. Nocentiſſimus vero eſt & in eo differt à bonis ſpiritibus & angelis. Ejus enim voluntas eſt penitus determinata ex libertate conſtantiſſime ad malum & damnum perpetuo inferendum creaturis, ad obſiſtendum & reſiſtendum voluntati Dei omniumque bonorum, quorum voluntas ſumma bonitas ſummus amor & benignitas, Satanæ vero ſumma malitia fraus odium perditio. Potens eſt in creaturas, ſine potentia enim nulla eſt creatura, & quoniam creatura eſt ſpiritualis & ſuperioris ordinis, hinc reliquas inferioris ordinis creaturas ſuperat etiam potentia. In hominem autem magnum habet jus, no-

ta

am respectu mentis quæ est in homine sed quatenus la utitur ministerio corporis,adeoque in animæ parem quæ phantasia dicitur insignem exserit energiam: habet quoque eandem in corpus restrictam amen & limitatam, non plenariam & perfectam.

§. II.

Primo omnium autem eorum rationes expendamus,qui diaboli existentiam non negant,ipsum tamen ullam plane efficaciam & potentiam possidere in corora asseverant. Deprehendimus vero ex philosohis & theologis maxime eos qui philosophiam Caresianam profitentur,huic sententiæ pollicem premee. Et ex eorum schola prodiit etiam *Balth. Beckerus*, Theol. D. & concionator Amstel. qui in opere suo quod *ascinatum mundum* insignivit, eo devenit temeritatis,ut tatuat satanæ & veneficis hominibus nullam prorsus n hominem eum ullo modo lædendi aut morbis afficiendi competere potestatem. Verum enim vero ut undamenta quibus innititur periculosa hæc opinio, onsideremus, & ut quasi ab ovo repetamus, necesse rit. Dedit videlicet ansam atque occasionem huic rrori illa pernicialis sententia,quam Cartesius primo n scenam produxit, & plures fideliter secuti sunt, & æc est: quod DEus sit causa proxima & immediata notus in corporibus, & ideo necesse est ut excluatur diabolus. Considerant nempe corpus ut mateam,quæ in se sit mere passiva,omnisque actionis exers,extensa tantum & divisibilis. Itaque ut in actum educatur, sive activa fiat, necesse est ut aliud principium activum accedat, quod vim, vigorem, ac vitam si conciliet. Hoc autem non esse posse materiale, ve extensum & passivum sed immateriale asserunt, ne-

neque illud posse esse finitum, quoniam in omni h
universo vastissimo in cunctis corporibus motum pr
pagat; sed infinitum ens, nempe ipsum DEum præst
re debere in universo motum affirmant. Atque ita pe
pulchre, ut ipsi opinati sunt, demonstrationem de D
adornarunt. At vero si ulla sententia in theologia n
minus ac physica ad innumeros & graves errores
am pandit, certe hæc ipsa est: demonstrat quidem D
um esse, sed ipsum penitus confundunt cum creaturis
mundo, quæ summa confusio ipsum etiam Spinozam pe
duxit ad atheismum. Quodsi enim virtus illa corpor
bus indita, qua agunt, qua operantur, qua movent a
corpora, esset essentialis divina, sequeretur Deum e
principium activum corpora constituens, quoniam
materia ceu passiva, nulla actio nulla operatio proflu
re potest. Ens autem mere passivum, quod nulla vi ac
va gaudet, nec retinere certam figuram, formam v
dispositionem potest, quales effectus adscribunt vul
materiæ, inde plane confundunt essentiam & effect
creatoris & creaturarum. Et quis nam sanæ men
vult dicere, quando bestia lædit hominem, vel ipsi da
num infert, effectum illum transfundendum esse
Deum, hujus læsionis causam; potius res hoc mo
se habet. Creator est substantia sive vis quædam i
finita pure activa, & causa ac fons omnium viriu
in creaturis. Creaturæ autem nihil aliud sunt, qua
vires quædam substantiales finitæ ad agendum & p
tiendum aptæ. Dependent videlicet originaliter u
versæ creaturæ & vires ipsis inditæ substantiales, q
fontes sunt earum operationum, ab ipso Deo, qui omn
potenti suo verbo ens condidit, inque omne mome
tum conservat ac sustinet. Acceperunt itaque co

po

ora à Deo virtutem internam moventem, quæ ipsis
ropria facta est, quæ simul patitur, hoc est, actionem
lterius corporis recipit. Falsum itaque est earum vim
mmediate esse divinam. Res autem longe clarius
atebit, si eam conferamus cum nostris cogitationi-
us. Hæ sunt ex unanimi doctorum confessione a-
tus mentis ex sua intrinseca finita virtute proveni-
ntes, utpote Deus non est qui in nobis cogitat vel
ult, sed mens nostra propria cogitandi & volendi
audet potentia, nihilo minus generali divino concur-
u ut existant opus habent, siquidem absque eo nec
ctualem cogitationem formare possumus: Ita etiam
orpora moventur virtute propria, ad cujus conser-
ationem universali virtute divina opus est.

§. III.

Ulterius Deum non esse causam proximam quæ
novent corpora, non infimi ponderis argumento à
osteriori petito, potest declarari. Videlicet phanta-
ia matris fœtum gerentis à nullo sano homine unquam
enditatur pro Dei actione immediata, sed per omni-
um consensum est operatio animæ matris. Jam autem
ertum atque compertum constanti experientia est,
erversam matris phantasiam sæpe numero penitus
urbare ac pervertere posse fœtus formationis in ute-
o opus. Quodsi vero Deus existimatur immediate
ormare fœtum in utero, secundum placita *Cartesiano-
um*, sequitur exinde actionem matris posse turbare
eum in suo opere, quod impium & à sana ratione
lienum assertum jure meritoque est existimandum.
uoniam igitur Cartesiani adhuc constanter in hac
ere sententia: Deum præstare immediate motum in
orporibus; hinc eo principio adducti non possunt

ſibi perſuadere,diabolum agere in corpora, eaque m
vere, cum diabolus nullam potentiam habeat in D
um, qui proxime autor ſit motus & ordinis in creat
ris. Sed deſtructo hoc falſo fundamento, cui ſubſt
nitur eorum ſententia, ſicuti jam copioſe & ſolide
ctum eſſe exiſtimo, concidit ſimul uno ictu aſſerti
illud præpoſterum, diabolum agere non poſſe in c
pora.

§. IV.

Proximum jam eſt ut etiam reliqua quibus uti
tur, argumenta ad tollendam diaboli vim in corp
perluſtremus. Dicunt videlicet ſpiritum non poſſe ag
re in corpora, quoniam ſubſtantia ſaltim eſt cogita
intellectu & voluntate prædita, quæ nullam conve
entiam habeat cum motu corporum. Colligunt p
ro: omnem motum fieri per contactum: inexte
ſam autem ſubſtantiam corpora non tangere po
hinc denegant diabolo efficaciam corpora moven
Hiſce reſpondemus certiſſimum eſſe, nullum corp
moveri à ſe ipſo, id eſt, unum corpus conſideratum
ſe non poſſe efficere motum ſed ad minimum duo
quiri; motus enim eſt actio non unius corporis,
duorum, ubi unum movet, alterum motum recipit. C
dinario itaque communicat movens ſuam vim per co
tactum corpori mobili, & tali ratione unum corpus m
vet alterum. Quæſtio vero eſt num corpus mov
queat, ſine alterius corporis actione, vel impreſſio
virtutis in ipſum, & quidem per aliam ſubſtantiam i
materialem, nempe ſpiritum. Quam ob cauſam aut
id non fieri poſſit, equidem non video. Nam ſi co
deramus cujus indolis ſit vis iſta, quæ imprimitur c
poribus in motu, certe non alia eſt, quam immater

is. Nihil enim corpus, quando celerrime impellitur, naterialitatis recipit, nihil ipsi additur, vel moventi lerogatur, nam unum corpus in infinitum, id est, absue fine sine diminutione virium suarum idoneum est notus provocare in aliis corporibus quiescentibus. Et ut verum fatear, vis illa substantialis, quæ omnium perationum, id est, motionum in corporibus causa c fons, non alia quam immaterialis est, omnem enim ibstantiam et essentiam creaturarum colloco in imnaterialitate. Cum itaque spiritus sit substantia imnaterialis summe activa; qua de causa non suam vim ossit etiam cum corporibus communicare, non intelligo. Si qua forsan exinde nasceretur dubitatio, vies spirituum & corporum esse differentes, non dari uandam communionem inter ipsos; ponamus & hoc; on poterit tamen negari, spiritum excitare posse vim am quæ est in corporibus, motricem; nam omnia orpora instructa sunt vi movente & mobili, quamvis eus talem legem tulerit, ut non nisi vel excitati ad moim, vel facta communicatione virium ab alio corpoe moveantur. Sed quid opus est longa disputatione que deductione? ubi rerum adsunt testimonia, exunt ratiocinia. Quid enim clarius ac magis obvium t, quam ad nutum & voluntatem animæ nostræ spiriis animales movere hæc vel illa membra: equidem sa anima non immediate movet musculos, manus el pedes, sed ipsi spiritus sic dicti animales elastica btili materia constantes illud exequuntur, unde inuxu ipsorum per nervum obstructum cessante etiam oluntas animæ efficacissima nihil peragere potest. ihilo minus imperat potius mens, quæ spiritualis propiæ est fluido nerveo, sive excitat & dirigit virtutem

motricem. Ex quibus clarissime patet spiritum u
que solo suo desiderio & voluntate, quæ actiones c
te non sunt materiales, sed immateriales, ad motu
certum posse incitare corpora. Destructis itaque
ad minimum multum labefactatis eorum, qui sa
næ denegant operationem in corpora, fundamen
proximum jam est, ut, quid diabolus possit & valeat
corporibus, & quid non possit, circumspiciamus.

§. V.

Primum unanimis est consensio saniorum diab
lum nulla posse edere miracula. Ut hoc demonstrem
ante opus erit genuinam miraculi indolem, quanta p
terimus brevitate, indagare. Miraculum autem est ef
ctus supernaturalis in ipsis corporibus, id est, qui cu
sum, qui ordinem, qui vires naturæ transscendit. Na
omnipotens rerum Conditor non modo certam v
atque energiam ad agendum cuivis corpori indidit,
& ex libero placito voluit, ut actiones & reactiones co
porum inter se certo ordine, quem legem recent
res appellant, fiant, e. gr. omnem motus fit ab inæqua
tate virium, quod idem est, corpus quod moventis
ce fungitur, majori efficacia motrice instructum e
debet ac mobile. Porro: corpora in æquilibrio co
stituta, quiescunt. Movens communicat mobili qua
dam vim motus. Motus celeritatis compensat pond
sive motum gravitatis; & quæ sunt hujus generis pl
ra. Secundum tales leges motuum celebrantur omn
qui in universo conspiciuntur, effectus corporu
Quodsi itaque occurrit quidam effectus, qui revera
supra istum ordinem, sive ex natura motus explicandu
quique non conformis est viribus corporibus indi
dicitur stupendus sive miraculosus, v. gr. si corpus sp

C

e gravius in fluido ſpecie leviori non deſcendit; ſi
ɜmina generat ſine mare: ſi ignis non accendit cor-
ɔra ad ignem concipiendum apta: ſi corpus mortu-
n & jam putridum ad vitam revocatur. Hæc vera
cenda ſunt miracula, ſupra ſolitum enim naturæ cur-
m & ordinem producuntur. Et hoc nemo facere
teſt, niſi ipſe Deus, qui autor eſt naturæ, qui omnium
rium creatarum centrum ac fons eſt, qui leges has
ıcivit, unde etiam à nulla creatura hæ leges ſuſpen-
atque tolli poſſunt, præterquam á ſolo Deo, qui ſolus
c prærogativa & privilegio gaudet. Et revera omnia
iracula à Deo & Chriſto notata in ſcriptura, ingenioſe
plicari poſſunt ex hoc principio, quod eſt ſuſpenſio
gum motus, qua de re latius videri poteſt *D. Connors*
*angelium Medici.* Excluditur itaque merito diabolus
omnibus miraculoſis & ſtupendis effectibus, quia
llum jus habet in ordinem naturæ, tametſi aliquid
cere poſſet, fieri id non niſi mediante hoc naturæ
dine valet.

§. VI.

Primo igitur naſcitur quæſtio, num diabolus cor-
ɔra humana per aerem transferre atque evehere
eat ex uno loco in alium. Dicimus autem rotunde;
diaboli poteſtate id non eſſe: Eſſet enim verum
iraculum. Nam quoniam corpus humanum flui-
m aeris vel bis centum ac ultra vicibus præponde-
, deberet vel tollere corporis humani gravitatem,
l aerem efficere corpore hoc graviorem; id quod
t miraculum. Equidem haud ignoro à Theologis qui-
sdam contrarium ſtatui, dum afferunt ex novo teſta-
nto exemplum de noſtro Salvatore, à ſatana ſtatuti
ɔra pinnaculum templi & in montem excelſum ve-

cti. At vero perpulchre refutavit hoc ipsum erud
ac acutus Theologus reformatus Walæus comm
ad novum Testamentum, dum docet, vocabulum
ϱαλαμβάνειν ordinario in nov. Test. non signific
gestare, circumferre, sed assumere, abducere, comit
sibi adjungere aliquem Matth. I, 24. παρέλαβε τὴν γυν
αὐτῦ cap. XVII, 1. παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν πέτρον & pas
alibi. Et notat Origenes, Dominum secutum quasi at
tam ad tentationem sponte proficiscentem, & quoda
modo loquentem; Tu, invenies me in omnibus
tiorem. Deinceps quæ vulgo traduntur de tra
vectione sagarum in montem Bructerum meræ
fabulæ, insomnia & illusiones sagarum diabolicæ;
bismet ipsis enim non ignotæ sunt historiæ, ubi
ceribus sagæ inclusæ & custoditæ, & ex gravi son
expergefactæ edixerunt in dissitis montibus ipsas
isse in multorum societate. Spectat huc egregia hi
ria relata à Godelmanno in Tractat. de Magis lib. I
4. Mulier quædam accusabatur Megapolitana de
pius ab ipsa celebratis in monte Bructerorum cum
abolo conventiculis. Dominus erat nobilis, cui
à servitiis, id credere recusans, ex ipsa tandem saga
ritatem explorare laborabat, id responsi tulit: cras
eo avolandum esse. Nobilis adjunctis sibi pastor
domesticis, noctu mulierem diligentissime in con
vi custodiebat, exploraturus, utrum transvolaret,
ne. Sed misera illa, unguento quodam se ipsam
nens, tam alto obruebatur somno, ut nec illa nocte,
sequenti die excitari posset. Expergefacta vero, s
monte Bructerorum cum aliis veneficis convent
celebrasse putavit, nec aliud sibi persuaderi passa fu

§.

## §. VII.

Secundo loco quæſtio occurrit, num dæmon trans-
utare queat corpora, v. gr. an ex metallis ignobilio-
ɔus poſſit facere nobiliora, an ex rebus animatis or-
nica & viva producere valeat? cui reſpondemus:
utiquam in poteſtate ejus hæc ipſa eſſe. Forma vi-
licet corporum conſiſtit in certa & ſpecifica parti-
n mixtum conſtituentium diſpoſitione, ſitu, figura ac
agnitudine. Et transmutatio unius corporis in al-
rum fit, quando texture ſchematiſmus & craſis par-
ım, qua gaudet corpus, mutatur, & alterius texturam
diſpoſitionem partium & pororum induit. Ita vi-
mus alimenta mutari in chylum, hunc mutari in
ıguinem, in ſerum & lympham, hæc in oſſa, in
rnem, carnem putreſcere. Non autem veri ſimile eſt
monem ullius corporis eſſentiam intimam & con-
uctionem ejus, partiumque connexionem exquiſite
ɔſſe, de eorum effectibus, & corporum operationi-
ıs, quod eas ſciant, non dubitamus. Si enim ſcirent
ixtionem corporum, & ad eorum nutum ſerviret
c rerum viſibilium materia, diverſiſſima corpora
ɔſſent producere, quod tamen ſolius Dei opus eſt.
ianto minus corpora organica, vel principium eo-
m, nempe ſeminium quoddam, formare poterunt.
ılli enim creaturæ relictum, ſed ſolius Dei eſt, ullum
men, quod natura non efficit, producere. Omnia
tem organica & viva corpora ex ſeminibus oriri or-
ıario naturæ curſu certiſſimum eſt. Adfertur qui-
m hic in contrarium Pharaonis magos incantatio-
ɔus ſuis virgas dæmonis ope transformaſſe in ve-
s dracones, ſicuti Moſes fecit. Verum enim vero,
n negandum, ceu electum omnipotentis Dei ad Pha-

rao-

raonem legatum virgam revera in vivum Dei ver
transformasse draconem, & aquam in sanguinem, q
ipso edocuit, se à Deo infinito illo rerum conditor
cujus solius est creare, & res vere transmutare, m
sum esse. Quod autem id ipsum à Pharaonis mag
carminibus dicit factum scriptura, rem altius intr
spiciens non eandem quæ à Mose ostensa est vera
metamorphosin intelligat: sed saltim serpentis præs
giosam formam obtutibus Regis obfusam apparuiss
quare etiam mendax draconis magicæ vanitatis faci
in præstigii revelationem à vero Mosis dracone dev
rabatur, ut mendacium à veritate absorbetur. Ide
censendum est de mutatione aquæ, quæ sine dub
pauca fuit in vase conservata, in rubicundam facie
& ranarum productione mere imaginaria; qua
re latius legi meretur Wierus de præstigiis dæmo
lib. 2. c. 8.

§. VII.

Cæterum & hæc quæstio meretur ventilari; a
diabolus verum possit assumere corpus? Negamus
de vero impenetrabili corpore: de imaginario aute
& apparente concedimus. Ipse enim peritissimus a
tifex atque ex longa experientia summus Physicus
opticus facillimo negotio ex commixtione diversoru
corporum præsertim fluidorum, variaque dispositio
lucidi cum opaco, quos vult, colores exprimit, ut oc
lis appareant quasi aliquid reale. Ita conspicimus n
bes, quæ non nisi vapores aquei inter se collecti
coacti sunt, sæpius varia corpora præsentare, adeo
castella, palatia, umbrosi sylvarum tractus, lucis & u
bræ mirifica mixtura producantur. Nullum enim
dubium, quod externe talia efficere, interne etia

pha

antasiam hominum,in quam magnam habet poten-
m,varie ludificari possit. Diabolus equidem homi-
um & mortuorum & adhuc viventium formam as-
mere potest variis sub simulacris. Sic in mulieris for-
a sese obtulit Curtio Rufo: senis macie ac squalore
nfecti Athenodoro Philosopho Athenis, referente
inio secundo lib. IV. Epist. Cassius Julium Cæsarem,
e dæmonem in ejus imagine in prælio post mortem
dit, humano habitu augustiorem, equo in se impetum
cientem. Vid. Valerius Maximus lib. I. c. 8. Plura exhi-
t Frommannus exempla in Tract. de Fascinatione
g. 786. Pariter etiam brutorum formam assumere
abolus potest. Referendum quoque ad illusiones
antasiæ existimo productionem Samuelis è terra so-
o corporis habitu & vestitu futura prædicentem,
si, ut nonnullorum Rabbinorum est sententia, omnia
ulieris relata mera mendacia arte conficta fuerint.

§. VIII.

In disquisitionem jam venit num diabolus doctos
prudentes homines facere queat. Nota sunt quæ
lgo tradi solent de spiritu eruditorum familiari. Ve-
ntamen cum anima hominis lumine quodam intel-
ctus insito constet, cujus autor est ipse Deus, & hoc
men in se summe sit bonum, non video, qua ratione
id agere, vel excitare ac perficere id ipsum que-
Et cum prudentia sapientia, sanæque rationis usus
t dona & bona, quibus perfectio spiritus humani
olvitur; essentiæ autem diaboli plane sit adversum,
c unicum vere bonum efficere: nam ejus operatio
n nisi damnosa & summe noxia est, exinde igi-
r colligo, nequaquam à malo dæmone expectandum
e, ut vera doctrina, prudentia & judicio imbuere



queat

queat animam hominis. In contrarium quidem h
movent, multa succurri posse à dæmone de artibus
de rebus quas exquisite norunt; Quibus respond
mus: diabolum in phantasiam agere variis ideis po
se ambabus manibus concedimus, & quod sæpe n
mero suis instrumentis ac sagis varias species intel
gibiles, variasque res, ad speciem veri confictas sopl
sticas instillare queat, non dubitamus. Verum ali
est materia eruditionis, aliud ipsa forma: & aliud est v
ritas, aliud est fictio. Pulchre scribit *Majolus dierum*
*nic. Tom. II. colloqv. 3. pag. 169. illa quæ à Deo sunt in excelle*
*tibus ingeniis, rectis, & naturis heroicis diabolo ἀμίμητα, n*
*imitabilia sunt.* Nam tenebrarum princeps potius
fundit tenebras, vel certe mille fraudibus & errorib
incrustat suam, quam concedere videtur, sapientiar
Nam omne donum bonum & perfectum descendit
Patre luminum. Alia autem quæstio est, num arte dæm
niaca juvari & exaltari queat memoria? Proferunt
hanc in rem varia exempla apud *Jordanum in libro*
*eo quod divinum est in morbis cap. 9. p. 34.* Veruntamen
mendum hic est, ne confundamus effectus quo
dam naturæ extraordinarios cum operibus genioru
malorum. Memoria partim spectat ad animæ fac
tatem imaginativam, & hinc phantasiam habet p
fundamento, partim etiam ad dispositionem & co
formationem, filamentorum ac pororum cerebri. I
cimus itaque quatenus res est phantasiæ, cum dæm
ni potestatem in eam tribuamus, præsertim in disp
sitis impiis, ideas quasdam imprimendo memoria
juvat. Sed hæc non est vera memoria, sed transi
ria saltim, superficialis, ad certos tantum actus &
certum tempus restricta: ad veram enim memoria
disp

iſpoſitio certa cerebri, quæ retinet firmiter idearum eſtigia, requiritur. Nullo modo autem diabolum in onſtructionem & conformationem ullius partis interna habere potentiam conſtanter aſſeveramus.

§. IX.

Tandem & illud gravis momenti excutiendum enit, an diabolus corpora ſolida, magna, animata & ianimata, ſua virtute pro lubitu hinc inde loco moere poſſit. Hac in re ut verum fateamur, exiſtimaius, talem vim diabolo eſſe denegatam, nam ex ertis & indubitatis operationibus atque effectis tanummodo judicare philoſophus debet, quid creatura oſſit & non poſſit. Inde cum non obvia ſint lucuntæ fidei talis modi exempla & teſtimonia, ubi diaolus ſua vi corpora ſolida, compacta, inſignis molis gravitatis huc vel illuc traduxerit, jure meritoque unc effectum in dubium vocamus. Equidem ſpiriis natura proprie movere eſt nullum corpus, adeo ut non vera ſit & adæquata motus cauſa, ſed ſaltim digere certos motus corporum, vel certi generis corora excitare poteſt ad motum, quod patet ex indole oſtræ animæ, quæ non ex propria ſua virtute ullum orpus extra ſuum domicilium movet, neque etiam ſo in corpore in omnes partes idem jus motus habet: a nec pro lubitu cordis, arteriarum, ventriculi, intetinorum motum vel ſuſpendere, vel augere poteſt, eque etiam immediate & proxime voluntas animæ el ullum articulum vel muſculum manus aut pedis iovet, ſed alio agente interveniente, cujus motum irigere & cui imperare poteſt. Ex quo intelligimus, uoniam ſpiritus non ſunt creaturæ, propria virtute ioventes, ipſis non competere in corpora promiſcu-

am, liberam & necessariam facultatem movendi, se potius sub certis modis, conditionibus & limitibus r stricțam.

§. X.

Multo minus autem hinc diabolus penetrationen dimensionum in corporibus causari potest, neque effi cere, ut corpus majus transeat per spatium impropor tionatum, id quod omne contra naturam, & omne phy sicum principium est, utpote summum Numen, un versa in certa mensura, numero pondere constituit, & activitatem ac vires cuivis rei creatæ attribuit, id quo diabolus nullo modo mutare valet. Quicquid itaqu vulgo de cutis impenetrabilitate, & resistentia adve sus gladium & globulos proferunt, vel quod glad aciem præsens diabolus obtundat ac recurvet, & glo bulos ad cutem protrusos repellat, mera sunt figmen ta, destituta claris & evidentibus documentis: ac ev nit quandoque aciem gladii impingere in os stern quod penetrare est inidonea; vel globulum non suff cienti pulveris pyrii virtute adactum, vel ob loci n miam distantiam enervatum, non pertransire cutin qui extraordinarii eventus non protinus in præstig dæmonum sunt transfundendi. De cætero vulgar est rumor, Lappos & Finnos possidere talem arten sed occasio erroris exinde nata fuit, quod docuerit e perientia, non tam subito & facile gravi utut fac percussione, duris etiam instrumentis ipsos o cidi. Ratio autem est in proclivi: nam ob frigidu constringentem, sub quo degunt, aerem hi populi os habent longe compactiora, solidiora, majora, qu non tam facile perfringuntur, quam ea, quæ nostr rum regionum incolæ habent.

§. X

§. XI.

Perſpectis igitur iis, quæ denegata ſunt malo dæmoni, quoad operationem in corpora naturalia, maximeque humana; jam ipſa res inſtitutique ratio exigit, t mentem noſtram declaremus, quænam diabolus oſſit agere, ſive quam habeat potentiam in corpora pſumque hominem. Primo omnium autem dicimus, um diabolus ſit ſpiritus, cujus voluntas nocentiſſima, intellectus autem penitus confuſus tenebris phanaſmatum, erroribus corruptus, ipſum cum creaturis, uæ ſunt identidem ſpiritus, majorem habere commuionem, communicationem, commercium atque ſoietatem, quam cum ipſis corporibus, quæ ſunt naturæ ab ipſo heterogeneæ; unde ſi quis eo perverſæ teeritatis pervenit, ut neget diabolum, non poterit meus convinci, quam ut in ſe ipſo & impiorum hominum nclinationibus, actionibus ipſum quærat ac demonſtret. Quis enim negabit, in unoquoque hominum non quanoque naſci pravas, voluntati divinæ adverſas inclinationes, cogitationes & ad peccandum ſtimulos, uorum cauſam & ortum non poſſumus adſcribere Deo, qui omnis boni, omnis lucis, omnis vitæ atque ſalutis potius cauſa & fons eſt? Hic magis monita, ſtimulos ad bonum, ad reſiſtentiam mali ſuggerit fidelibus ſuis, ut videant & vincant diaboli operationes n homine. Nam ut rem clarius exprimamus: Deus hominem condidit bonum, ejus intellectus lux ſplendida & pura erat interna, qua bonum pervidere & à malo diſtinguere poterat. Voluntatem condidit liberam atque idoneam ad bonum ſectandum & malum fugiendum. Si jam velimus inquirere inſignis illius cataſtrophes & metamorphoſeos cauſam, cum jam ipſius

 homi-

hominis intellectus errorum tenebris oppressus conspiciatur & perpetuo inclinationem ad malum habeat. Injurius qvis esset in Deum, si causam ipsi velit assignare, sed ipsa fatente revelatione, & sana ac restituta ratione, est autor hujus corruptionis & miseriæ ipse diabolus, qui causa atque origo omnis mali est. Videmus prohdolor inde luculentissime mali dæmonis actionem spiritualem in hominem! Neque dubitandum perpetuos ejus influxus, & operationes in impios adhuc durare, imo pios atque fideles non esse immunes ab ejus tentationibus.

§. XII.

Omnium autem optime nomina quibus nuncupatur diabolus in S. Scriptura clarissime ostendunt, omne malum in toto universo, inque ipso homine ex diabolo suam adsciscere originem. In Hiobo dicitur Behemot, Elephas, Leviatan cujus virtus existit iu lumbis ejus, & robur illius in umbilico ventris sui: Illecebris enim venereæ voluptatis, quæ circa lumbos & umbilicum præcipue sentitur ac perficitur, frequenter hominem impugnat. Exprimitur etiam hoc ipso ejus natura admodum potens & perversa, quæ omnem humanam naturam everteret, nisi divinæ omnipotentiæ habenis coerceretur. Vid. integrum *Hiobi cap. 40 41.* In Tobia dicitur asmodeus, quod est, spiritus coecitatis destructor, peccati abundantia; In Nov. Test. Voce Syriaca Mammon, id est, cupiditas divitiarum: Diabolus Græcis calumniator: Cacodæmon, id est multas res perverse sciens; Satan, hoc est, adversarius, qui omni bono resistit, qui omnibus nocet. In Apocalypsi Hebraice Abaddon', Græce ἀπολλύων perditor aut perdens. Et passim in nov. & vet. Testamento mendax

impo

mpoſtor, immundus, ſpiritus fornicationis, leo
ui aperto marte nos invadit: Draco, qui occulte no-
is inſidiatur: ſerpens antiqvus propter occultum ve-
enum, & occultas à longo tempore inſidias. Spi-
tus furoris. Spiritus impurus Spiritus Princeps
: Deus hujus mundi. Rex ſuper univerſos filios ſu-
erbiæ, qui ſeducit totum terrarum orbem. Quibus
ominibus, quæ rerum & operationum ſemper cujus-
am ſubſtantiæ ſunt characteres atque ſigilla, Deus in
literis ſufficienter exprimit, quantos effectus, quan-
m potentiam hic Spiritus magnus habeat in homi-
is nobiliorem partem animam, quam funditus cor-
umperet, niſi Dominum haberet & ſuperiorem
eum.

§. XII.

Poſtquam conſideravimus quam ingentem & ve-
ementer timendam diabolus cuſtodiat potentiam in
is generis creaturas nempe ſpiritus, quæ ipſi quaſi
ſentialis & primaria eſt, utile jam erit, ut circum-
iciamus, quod noſtri maxime eſt inſtituti, quid
aleat circa corpora? Sententia itaque noſtra eſt eam
otentia in corpora eſſe magis diabolo ſecundariam,
on autem primariam, eamque valde limitatam &
